Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8261
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

mastitis in minori quantitate et propter quod
dum mel adhuc est calidum et
electuarium calidum est imponatur
pulvis ille, semper parum et per
intervallum ponendo et parum pul-
veris ellebori et continue move-
atur ne inviscet quia si totus pul-
vis simul imponeretur inviscta-
retur. Scamonea in electuario
calido ponatur, quia ex calore re-
primitur eius malitia. Sed tale
unguentum non potest dari ante .xv.
vel .xx. dies. Vel sic accipe sca-
monea ʒ .ij. vel .iij. vel .iiij.
hoc dico, quia plus operatur ʒ.
.i. in calida regione, et calido
tempore quam duo vel tres in frigida
regione et frigido tempore, pulve-
rizetur subtilissime et ponatur in
aqua ordei per totam noctem, et cum
aqua illa medicina acuatur vel
colatura illius aque si paciens
sit debilis detur. Sic autem potest
dari delicatis sine molestia et
sine timore. Datur etiam sic
quibusdam acute febricitantibus. Et
nota quod scamonea ponenda est in
maiori quantitate sic quam alio modo
aqua autem sit tepida vel frigida.
Nec hoc electuarium dandum est ante
viij. vel .x. dies. Sed quia cogimur
sepe medicinam dare eadem die
sic est faciendum pulverisa ʒ .ij.
vel .iij. dyagridij sed non multum
subtiliter et plus de mastice et
acue medicinam. Aliter etiam sic
quod possit dari in ipsa die medicina
Accipe scamoneam integram et pone
in pasta vel coctano et coque bene
ut sic reprimatur eius malitia post
pulverizetur et modicum mastitis
addatur et inde acue medicinam
Et nota quod dyagridio principaliter
mastix admiscetur, secundario bdellium
3° gummi arabicum. Nota quod me-
dicina scamoneata numquam de-
bet dari cum aqua frigida, licet quedam
electuarium frigidum cum aqua frigida

dent in estate, ex frigiditate enim
potest scamonea virt. stoi inuistari
Potest etiam cum scamonea potus laxa-
tivus fieri. Cum autem fit claretum
vel nectar scamonee inter alias
species ponitur et fit laxativum ¶
Item pulverizetur scamonea addito
mastice ponatur in pasta et coquatur
sic fit panis laxativus. Scamo-
nea etiam integra in arbore fixa
non versus terram multum sed in medio
ponatur in quantitate lb .j. et .s. et
pannum circumponat et terra desuper
et ligetur bene illa planta humo-
rositas autem et nutrimentum arboris
sursum ascendens scamonee efficaci-
am secum transfert ad ramos. Unde
sic fit fructus laxativus. Et
nota quod cum dyagridium principaliter
purget coleram secundario flegma
tertio melancoliam, cum diversis me-
dicinis positum diversos humores
purgat principaliter. Si enim ponitur
cum oxilaxatio vel electuario fri-
gido vel trifera sarracenica prin-
cipaliter purgat coleram, si cum blanca flegma
si cum theodoricon anacardio
vel dyasene melancoliam. Et nota
quod diutius servatur quando ponitur in
electuario quod conficitur cum syrupo.
Et nota si fieret scamonea cum
oleo violarum bene addito mastice
et acuatur inde medicine in
ipso die vel secundo die possunt ta-
les medicine dari. De dra-
gaganto

Dragagantum frigidum
est in 2° gradu humidum in primo.
Est autem gummi cuiusdam
arboris in transmarinis partibus
nascentis cuius humiditas efflu-
ens exactione solis condensatur
et in gummi substantiam convertitur
cuius triplex est maneries, primum
est album quod melius est si
sit clarum, et secundum subruffum, et
tertium citrinum quod non est adeo bonum